

immisericordes fuerunt, quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo : « Si distribuam » omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest<sup>1</sup>; » aut diligat quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? « Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam<sup>2</sup>. » Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem æternum dictum, non ipsam poenam æternam : per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem : ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis non sit in eos æterna; cum et hoc prævidens Dominus, tanquam Dominus, sententiam suam ita concluderit, dicens : « Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam<sup>3</sup>. » Erit ergo æterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

XXVI. Si ergo hæc omnia, et cætera quæ innumerabilia per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt; poterit verus esse ille intellectus de lignis, foeno et stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christum fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista et vera et clara sunt; procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu<sup>4</sup>, quæ non debent homines pervertere ad proprium suum interitum, ut contra evidentissima testimonia Scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequi-

<sup>1</sup> 1 Cor. xiii, 3. — <sup>2</sup> Psal. x, 6. — <sup>3</sup> Matth. xxv, 46. — <sup>4</sup> 2 Petr. iii, 16.

tiæ suæ pertinacissime cohærentes, nec emendando aut poenitendo mutatos.

XXVII. Hic a me fortasse quærat, de ipsa Pauli apostoli sententia quid ego sentiam, et quonam modo intelligendam putem. Fateor, hinc mallet audire intelligentiores atque doctiores, qui sic eam exponant, ut illa omnia vera et inconcussa permaneant, quæ supra commemoravi, et quæcumque alia non commemoravi, quibus apertissime Scriptura testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit Apostolus, id est, quæ per dilectionem operatur; sine operibus autem salvare non posse, neque præter ignem, neque per ignem : quia si per ignem salvat, ipsa utique salvat. Absolute autem dictum est et aperte : « Quid prodest, si dicat quis se fidem habere, » opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum<sup>1</sup>? » Dicam tamen, quam brevissime potero, etiam ipse quid sentiam de illa sententia Pauli apostoli ad intelligendum difficili, dummodo illud, quod ad meam professionem attinet, præcipue teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus est in structura architecti sapientis : hoc expositione non indiget. Aperte enim dictum est : « Fundamentum enim » aliud nemo potest ponere propter id quod positum est, » quod est Christus Jesus<sup>2</sup>. » Si autem Christus, procul dubio fides Christi. Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit<sup>3</sup>. Porro si fides Christi, illa utique quam definivit Apostolus, « Quæ per dilectionem operatur<sup>4</sup>. » Non enim fides illa dæmonum, cum et ipsi credant et contremiscant, et Filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in fundamento. Quare, nisi quia non est fides quæ per dilectionem operatur, sed quæ exprimitur per timorem? Fides

<sup>1</sup> Jacob. ii, 14. — <sup>2</sup> 1 Cor. iii, 10. — <sup>3</sup> Ephes. iii, 17. — <sup>4</sup> Galat. v, 6.

itaque Christi, fides gratiæ christianæ, id est, ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento neminem perire permittit. Sed quid sit ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, et ligna, fœnum, stipulam, si subtilius disserere coner, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio: enitar tamen, quantum Dominus adjuvat, et breviter, et quantum potero, dilucide expedire quod sentio. Ecce ille qui quæsivit a Magistro bono, quid boni faceret, ut haberet vitam æternam; et audivit, si ad vitam venire vellet, servanda sibi esse mandata; et cum quæreret quæ mandata, dictum est ei: « Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: » Honora patrem tuum et matrem tuam: Et diliges proximum tuum tanquam te ipsum<sup>1</sup>: » hæc faciens in fide Christi, teneret procul dubio fidem, quæ per dilectionem operatur. Neque enim diligeret proximum tanquam se ipsum, nisi recepta dilectione Dei, sine qua non diligeret se ipsum. Porro si faceret etiam quod Dominus addidit, dicens: « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ » habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, » et veni sequere me<sup>2</sup>: » ædificaret super illud fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos: non enim cogitaret, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo: et hæ cogitationes sunt, quantum existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi. Porro si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amitendarum metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur (alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret): sed propter carnalem, ut dixi, quem in

<sup>1</sup> Matth. xix, 16-19. — <sup>2</sup> Ibid. 22.

eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud ligna, fœnum, stipulam: maxime si et uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tanto est quisque securior, quanto ea vel minus amaverit, vel tanquam non habens habuerit. Qui vero propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, et similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquetur.

XXVIII. Quamobrem et illud quod dicunt, veluti probare cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit: « Quod si infidelis discedit, discedat; non » est enim servituti subjectus frater vel soror in hujusmodi<sup>1</sup>; » id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hoc uxor

<sup>1</sup> I Cor. vii, 15.

dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat. Quemcumque autem in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis sustinebit, hoc est detrimentum quod patietur, hic est ignis per quem fœno ardente ipse salvabitur. Si autem jam sic habebat uxorem tanquam non habens, non propter concupiscentiam, sed propter misericordiam, ne forte eam salvam faceret, reddens potius quam exigens debitum conjugale; profecto nec dolebit carnaliter, cum ab illo tale connubium separabitur: neque enim in ea cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo<sup>4</sup>. Ac per hoc in quantum aurum, argentum, et lapides pretiosos illis cogitationibus superædificabat, in tantum detrimentum nullum pateretur, in tantum ejus structura, quæ non erat fœnea, nullo incendio cremaretur.

XXIX. Sive ergo in hac tantum vita ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus hujusce sententiæ. Verumtamen etiam si est alius, qui mihi non occurrit, potius eligendus; istum quandiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei<sup>2</sup>: Si tantummodo in Christum credatis, et sacramentum baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis.

<sup>1</sup> 1 Cor. vii, 32. — <sup>2</sup> 1 Tim. i, 9-11.

XXX. Unde nec illa nobis mulier Chananæa præscribit, quia Dominus ei quod petebat dedit, cum ante dixisset: « Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere » canibus<sup>1</sup>: » quia ille cordis Inspector mutatam vidit, quando laudavit. Et ideo non ait: O canis, magna est fides tua; sed, « O mulier, magna est fides tua. » Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus, id est, fidem non talem quæ jam per dilectionem posset operari, fidem mortuam, et quod Jacobus dicere minime dubitavit, fidem non Christianorum, sed dæmonum<sup>2</sup>. Postremo si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo et corripiendo redarguit: quoscumque invenerint tantummodo credere, vitam vero inquinatissimam, nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri, ac nolle mutare; sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Chananææ mulieris; non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant membra meretricis<sup>3</sup>. Illud sane non absurde intelligunt, eum peccare in Spiritum sanctum, et esse sine venia reum æterni peccati, qui usque in finem vitæ noluerit credere in Christum: sed si recte intelligerent, quid sit credere in Christum. Non enim hoc est habere dæmonum fidem, quæ recte mortua perhibetur; sed fidem quæ per dilectionem operatur.

XXXI. Quæ cum ita sint, quando tales ad baptismum non admittimus, non ante tempus zizania evellere conamur, sed nolumus insuper, sicut diabolus, zizania seminare: nec ad Christum volentes venire prohibemus, sed eos ad Christum venire nolle, ipsa sua professione convincimus: nec vetamus Christo credere, sed demonstra-

<sup>1</sup> Matth. xv, 26. — <sup>2</sup> Jacob. ii, 19. — <sup>3</sup> Galat. v, 6.

mus eos nolle Christo credere, qui vel adulterium dicunt non esse, quod ille adulterium dicit esse, vel credunt adulteros ejus membra posse esse, quos per apostolum dicit regnum Dei non possidere<sup>1</sup>, et sanæ doctrinæ adversari, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei<sup>2</sup>. Unde non sunt isti inter eos deputandi, qui ad convivium nuptiarum venerunt; sed inter eos qui venire noluerunt<sup>3</sup>. Cum enim ipsi doctrinæ Christi audent apertissime contradicere, et sancto adversari Evangelio, non venientes repelluntur, sed venire contempnunt<sup>4</sup>. Qui autem sæculo saltem verbis, etiamsi non factis, renuntiant, veniunt quidem, et inter triticum seminantur, et in aream congeruntur, et ovibus aggregantur, et retia subeunt, et convivantibus admiscuntur; sed intus sive lateant, sive pateant, tunc erit ratio tolerandi, si potestas nulla est corrigendi, nec debet esse præsumptio separandi. Absit autem ut sic intelligamus quod scriptum est, ad convivium nuptiarum adductos: « Quos invenerunt bonos et malos<sup>5</sup>, » ut eos adduxisse credantur, qui se malos perseveraturos professi sunt. Alioquin ipsi servi patrisfamilias zizania seminaverunt, falsumque erit illud: « Inimicus » autem qui ea seminavit, diabolus est<sup>6</sup>. » Sed quia hoc falsum esse non potest, « Adduxerunt servi bonos et » malos, » sive qui laterent, sive qui jam adducti et intronmissi apparerent; sive, « Bonos et malos » dictum est secundum quamdam humanam conversationem, in qua etiam ii qui nondum crediderunt, vel laudari vel vituperari solent. Unde est etiam et illud quod Dominus monet Discipulos, quos ad Evangelium prædicandum primitus mittit, ut in quamcumque venerint civitatem, quærant quis illic dignus sit<sup>7</sup>, ut apud eum habitent, donec inde

<sup>1</sup> 1 Cor. vi, 10. — <sup>2</sup> 1 Tim. i, 10, 11. — <sup>3</sup> Luc. xiv, 16. — <sup>4</sup> Matth. xxii, 2. — <sup>5</sup> Luc. xiv, 21. — <sup>6</sup> Matth. xiii, 28. — <sup>7</sup> Id. x, 11.

proficiscantur. Profecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suorum civium bonus habebitur? et quis indignus, nisi qui eis malus innotuerit? Ex hoc utroque genere veniunt ad Christi fidem, et sic adducuntur boni et mali: quia et illi mali a mortuis operibus poenitentiam non recusant. Si autem recusant, non intrare cupientes repelluntur, sed ab introitu ipsi aperta contradictione discedunt.

XXXII. Erit ergo et servus ille securus, nec inter pigros damnabitur, quod dominicum talentum noluerit erogare<sup>1</sup>; quandoquidem illi noluerunt quod erogabat accipere. Propter illos enim hæc similitudo proposita est, qui nolunt suscipere in Ecclesia dispensatoris officium, desidiosam prætendentes excusationem, nolle se rationem reddere de peccatis alienis: qui audiunt et non faciunt, id est, accipiunt et non reddunt. Cum vero dispensator fidelis et diligens, in erogando paratissimus, et lucrorum dominicorum avidissimus, dicit adultero: Noli esse adulter, si vis baptizari; crede Christo, qui hoc quod facis dicit esse adulterium, si vis baptizari; noli esse membrum meretricis, si vis fieri membrum Christi: ille autem respondet: Non obedio, non facio: ipse non vult veram pecuniam dominicam accipere, sed suam potius adulterinam vult thesauris dominicis importare. Si autem se facturum profiteretur, nec faceret, nec postea quolibet modo corrigi posset; inveniretur quid de illo fieret, ne aliis inutilis esset, qui sibi utilis esse non posset: ut si intra retia Domini bona piscis malus esset, non tamen pisces Domini sui malis retibus irretiret; hoc est, ut si haberet in Ecclesia vitam malam, non tamen illic institueret doctrinam malam. Cum enim tales facta sua talia defendunt, vel in eis se perseveraturos apertissime pro-

<sup>1</sup> Matth. xxv, 26.

fitentes admittuntur ad baptismum, nihil videtur aliud prædicari, nisi fornicatores et adulteros etiam usque in vitæ hujus finem in ea nequitia permanentes, regnum Dei possessuros, et merito fidei, quæ sine operibus mortua est, ad vitam æternam salutemque venturos. Hæc sunt mala retia, quæ cavere debent præcipue piscatores: si tamen illa evangelica similitudine piscatores episcopi, vel inferioris ordinis Ecclesiarum præpositi intelligendi sunt; quia dictum est: « Venite, et faciam vos piscatores res hominum<sup>1</sup>. » Retibus enim bonis capi possunt pisces et boni et mali; retibus autem malis capi non possunt pisces boni. Quoniam in doctrina bona et bonus potest esse qui audit et facit, et malus qui audit et non facit: in doctrina vero mala, et qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est; et qui obtemperat, pejor est.

XXXIII. Illud sane mirabile est, quod fratres qui aliter sapiunt, cum debeant ab ista vel nova vel vetere, perniciose tamen opinione discedere, ipsi insuper dicunt novam esse doctrinam, qua nequissimi homines in suis flagitiis se perseveraturos in propatulo profitentes non admittuntur ad baptismum: quasi nescio ubi peregrinentur, quando meretrices et histriones, et quilibet alii publicæ turpitudinis professores, nisi solutis aut disruptis talibus vinculis, ad christiana sacramenta non permittuntur accedere: qui utique secundum istorum sententiam omnes admitterentur, nisi antiquum et robustum morem sancta Ecclesia retineret, ex illa scilicet liquidissima veritate venientem, qua certum habet: « Quoniam » qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt<sup>2</sup>. » Et nisi egerint ab his mortuis operibus poenitentiam, accedere ad baptismum non sinuntur: si autem subreperint, nisi vel postea mutati egerint<sup>3</sup>, salvi esse non possunt. Sed

<sup>1</sup> Matth. iv, 19. — <sup>2</sup> Galat. v, 21, et I Cor. vi, 10. — <sup>3</sup> *Supple*, poenitentiam.

ebriosi, avari, maledici, et si qua alia vitia damnabilia apertis factis convinci redarguique non possunt; præceptis tamen et catechismis validissime flagellantur, atque omnes tales mutata in melius voluntate ad baptismum videntur accedere. Sed si forte adulteros, quos non lex humana, sed divina condemnat, id est, qui alienas uxores tanquam suas habent, vel foeminas quæ alienos maritos, alicubi negligentius admitti solere adverterunt; ex illis rectis debent conari ista corrigere, hoc est, ut etiam isti non admittantur; non ex his pravis illa recta depravare, ut neque de morum correctione catechizandos esse censeant Competentes; et consequenter omnes etiam illarum publicarum turpitudinum et scelerum professores, hoc est, meretrices, lenones, gladiatores, ac si quid hujusmodi est, etiam in illis malis permanentes, admitti oportere arbitrentur. Omnia quippe illa quæ Apostolus enumerat, concludens: « Quoniam qui talia agunt, regnum » Dei non possidebunt: » qui vehementius agunt, manifestata sibi congruenter increpant, et resistentes atque in eis se permansuros profitentes ad accipiendum baptismum non admittunt.

XXXIV. Qui autem opinantur cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant et excommunicationibus punienda, donec poenitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Neque nunc opus est quærere qualis sit eorum ista sententia, et utrum corrigenda, an approbanda, ne opus susceptum mittamus in longum propter eam quætionem, quæ huic absolvendæ minime necessaria est. Sufficit enim, quia si omnia non sunt admittenda ad baptismi sacramentum, inter hæc omnia est adulterium: si autem tria illa sola excipienda sunt, etiam in his tribus est adulterium, unde ista disputatio nata est.

XXXV. Sed quoniam malorum Christianorum mores, qui fuerunt antea etiam pessimi; habuisse non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, aut alienis viris foeminae nubarent; inde fortasse apud quasdam Ecclesias negligentia ista subrepsit, ut in catechismis Competentium nec quaererentur nec percuterentur hæc vitia; atque inde factum est, ut inciperent et defendi: quæ tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo non densa faciamus. Talem quippe in quibusdam negligentiam, in aliis imperitiam, in aliis ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi ait: « Cum autem dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania<sup>1</sup>. » Hinc autem existimandum est, non ea primum apparuisse in moribus, quamvis malorum Christianorum, quoniam beatus Cyprianus in Epistola de Lapsis, cum deplorando et arguendo multa commemoraret, quibus merito dicit indignationem Dei fuisse commotam, ut intolerabili persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, hæc ibi omnino non nominat: cum etiam illud non taceat, et ad eosdem mores malos pertinere confirmet, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, nihil aliud esse asserens, quam prostituere gentilibus membra Christi: quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata; quoniam revera in Novo Testamento nihil inde præceptum est, et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum. Sicut etiam illud ambiguum est, utrum Herodes mortui duxerit, an vivi fratris uxorem: et ideo non ita claret, quid Joannes ei non licere dicebat<sup>2</sup>. De concubina quoque, si professa fuerit nullum se alium cognituram, etiamsi ab illo cui subdita est dimittatur, merito dubitatur, utrum ad percipiendum baptismum non de-

<sup>1</sup> Matth. xiii, 25. — <sup>2</sup> Matth. xiv, 3.

beat admitti. Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, et aliam duxerit, non videtur æquandus eis; qui excepta causa adulterii dimittunt et ducunt: et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. Quamobrem quæ manifesta sunt impudicitiae crimina, omni modo a baptismo prohibenda sunt, nisi mutatione voluntatis et pœnitentia corrigantur: quæ autem dubia, omni modo conandum est ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factæ fuerint, nescio utrum ii qui fecerint, similiter ad baptismum non debere videantur admitti.

XXXVI. Quantum attinet igitur ad doctrinam salubrem veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentiosissima tribuatur auctoritas, iste curationis ordo est, ut baptizandi credant in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, eo ritu quo Symbolum traditur; et a mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumque se omnino præteritorum remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent: non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat; ut sit facti remissio, non permissio faciendi. Tunc vere dici potest, etiam spiritaliter: « Ecce sanus factus es, jam » noli peccare<sup>1</sup>: » quod Dominus de corporali sanitate ideo dixit, quoniam sciebat ei, quem salvum fecerat, meritis peccatorum illum etiam carnis accidisse languorem. Hi autem ei homini, qui et baptizandus adulter ingreditur, et baptizatus adulter egreditur, miror quomodo dici existiment: « Ecce sanus factus es. » Quis enim gravis et exitiabilis morbus erit, si adulterium sanitas erit?

<sup>1</sup> Joan v, 14.

XXXVII. Sed in tribus millibus, inquit, quos imo die Apostoli baptizarunt, et in tot millibus credentium, in quibus Apostolus ab Jerusalem usque in Illyricum Evangelium replevit, erant utique alicui alienis uxoribus copulati, vel foeminae alienis maritis: in quibus regulam Apostoli constituere debuerunt, quae deinceps in Ecclesijs servaretur, utrum non admitterentur ad baptismum, nisi illa adulteria correxissent<sup>1</sup>. Quasi non similiter adversus eos dici possit, quod non inveniunt aliquem commemoratum, qui cum talis esset, admissus est. Aut vero possint singulorum hominum crimina, quod infinitum erat, commemorari; cum generalis illa regula satis superque sufficiat, ubi Petrus pluribus verbis testificans baptizandis ait: « Eripite vos ab hoc saeculo pravo<sup>2</sup>. » Quis enim dubitet ad hujus saeculi pravitatem adulteria pertinere, et illos qui elegerint in eadem iniquitate persistere? Similiter autem dici potest, publicas meretrices, quas utique ad baptismum, nisi ab illa turpitudine liberatas, nulla admittit Ecclesia, potuisse inveniri in tot millibus tunc credentium per tot gentes, et de his suscipiendis vel prohibendis constituere Apostolos exempla debuisse. Verumtamen de quibusdam minoribus possumus conjectare majora. Si enim ad baptismum Joannis venientes Publicani prohibiti sunt aliquid amplius exigere<sup>3</sup>, quam quod eis fuerat constitutum: miror si venientibus ad baptismum Christi posset permitti adulterium.

XXXVIII. Commemoraverunt etiam Israëlitae multa mala et gravia perpetrasse, et effudisse multum sanguinem Prophetarum, nec tamen ex his factis penitus meruisse deleri, sed ex infidelitate sola, qua in Christum credere noluerunt: non intuentes quia peccatum eorum non hoc

<sup>1</sup> Rom. xv, 19. — <sup>2</sup> Act. ii, 40. — <sup>3</sup> Luc. iii, 13.

solum fuit, quia in Christum non crediderunt, verum etiam quia Christum occiderunt; quorum unum pertinet ad crimen incredulitatis, alterum ad crimen crudelitatis. Illud ergo est contra fidem rectam, istud contra bonam vitam. Utroque autem vitio caret, qui fidem Christi habet; non sine operibus mortuam, quae etiam in demonibus invenitur<sup>4</sup>; sed fidem gratiae, quae per dilectionem operatur<sup>5</sup>.

XXXIX. Haec est fides de qua dicitur: « Regnum caelorum intra vos est<sup>6</sup>. » Hoc enim diripiunt, qui vim faciunt credendo, impetrantes Spiritum charitatis, ubi est plenitudo legis, sine qua lex in littera reos faciebat etiam praevagationis<sup>7</sup>. Non itaque putandum est ideo dictum: « Regnum caelorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud<sup>8</sup>; » quia etiam mali tantummodo credendo et pessime vivendo perveniunt in regnum caelorum: sed quia reatus ille praevagationis, quem sola lex, id est, littera sine spiritu jubendo faciebat, credendo solvitur, et violentia fidei Spiritus sanctus impetratur; per quem diffusa charitate in cordibus nostris<sup>9</sup>, lex non timore poenae, sed justitiae amore completur.

XL. Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide mortua, hoc est, sine bonis operibus confiteatur, more daemonum; et ideo se jam non dubitet ad vitam aeternam esse venturam, quia Dominus dicit: « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum<sup>10</sup>. » Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est: « In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servemus. Qui dicit, quia cognovi eum, et mandata ejus non servat, mendax est, et in hoc ve-

<sup>1</sup> Jacob. ii, 20. — <sup>2</sup> Galat. v, 6. — <sup>3</sup> Luc. xvii, 21. — <sup>4</sup> Rom. xiii, 10. — <sup>5</sup> Math. xi, 12. — <sup>6</sup> Rom. v, 5. — <sup>7</sup> Joan. xvii, 3.